



**Q. SEPTIMII|| FLORENTIS|| TERTVLLIANI||  
CARTHAGINIENSIS|| PRESBYTERI, OPERA|| QVÆ  
HACTENVS REPERIRI|| POTVERVNT OMNIA:||**

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens**

**Antverpiae, 1584**

Catalogi Opervm Tertvlliani.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73633)

# CATALOGI OPERVM TERTVLLIANI.

*Ex S. Hieronymo Catal. Script. Ecclesiast.*

**T**ERTVLLIANVS Presbyter, nunc demum primus post Victorem & Apollonium Latinorum ponitur, Provincia Africa, civitatis Carthaginensis, patre Centurione Proconsulari. Hic acris & vehementis ingenij, sub Seuero Principe & Antonino Caracalla floruit, multaque scripsit volumina; quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quendam Paulum Concordiam, quod oppidum Italia est, senem, qui se Beati Cypriani iam grandis ætatis Notariū, quem ipse admodum esset adolescentis, Romæ vidisse diceret, referréque sibi solitum, numquam Cyprianum absque Tertulliani lectioне vnam diem præterisse, ac sibi crebro dicere: Da magistrum, Tertullianum videlicet significans. Hic quum usque ad medium ætatem Presbyter Ecclesiæ permanisset, inuidia postea & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris nouæ Prophetia meminit, specialiter autem aduersus Ecclesiam texuit volumina: *De Pudicitia, De Persecutione, De Ieiuniis, De Monogamia, De Ecclesiæ Libros sex, & septimum, quem aduersum Apollonium composuit.* Ferturque vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non exstant, opuscula condidisse.

**EX IOANNIS TRITHEMII ABBATIS**  
*Libro de Scriptor. Ecclesiast.*

**T**ERTVLLIANVS Presbyter, patria Carthaginensis, Africanæ prouinciae, patre Centurione viro Proconsulari, homo acris & vehementis ingenij, tam in diuinis quam in secularibus scripturis doctissimus, quippe qui apud Carthaginem Rhetoricam multis annis gloriòse docuit. Scriptus Latino sermone penè infinita opuscula, in quibus Hæreticorum errores fortiter contriuit. Huius scripta beatissimus Martyr Cyprianus in tanta veneratione habuit, ut nullum sine eorum lectioне diem præteriret. Dicere enim ad Notarium suum confucuerat: Da Magistrum, Tertullianum videlicet designans. Tandem in errore Montani delapsus dicitur, propter quod eius opuscula inter apocrypha computantur xv. dist. Sancta Romana. Et licet in aliquibus errauerit, in multis tamen benè scripti, sicut eius volumina testantur: de quibus vidi,

<i>De Patientia Dei,</i>	Lib. vnum.	<i>Confiteor ad Dominum Deum.</i>
<i>Aduersus Præxan,</i>	Lib. i.	<i>Variè diabolus amul.</i>
<i>Contra Marcionem,</i>	Lib. 5.	<i>Si quid retrò gestum est.</i>
<i>Contra Iudeos</i>	Lib. i.	<i>Proxime accidit disp.</i>
<i>De Præscript. hæretic.</i>	Lib. i.	<i>Conditionem præsentium.</i>
<i>Contra omnes hæreses</i>	Lib. i.	<i>Quorum hæreticorum.</i>
<i>Aduersus Hermogenem</i>	Lib. i.	<i>Solemus hæreticis con.</i>
<i>Contra Valentianos</i>	Lib. i.	<i>Valentiniani frequent.</i>
<i>De Carne Christi</i>	Lib. i.	<i>Qui fidem resurrectionis.</i>
<i>De Resurrectione carnis</i>	Lib. i.	<i>Fiducia Christianorum.</i>
<i>De Corona militis</i>	Lib. i.	<i>Proxime facta est liberal.</i>
<i>Ad Martyras</i>	Lib. i.	<i>Inter carnis alimenta.</i>

## Catalogi Oper. Tertull.

De Pœnitentia	Lib. 1.	Pœnitentiam hoc genus.
De Velandis virginibus	Lib. 1.	Proprium iam negotium.
De Habitū muliebri	Lib. 1.	Si tanta in terra morare.
De Cultu feminarum	Lib. 1.	Ancilla Dei viui conser.
Ad Vxorem	Lib. 2.	Dilectissima in Domino.
De Persecutione ad Fabium	Lib. 1.	Quæſiti proximè Fabi.
Ad Scapulam	Lib. 1.	Nos quidem neque expa.
Exhortatorium castitatis	Lib. 1.	Non dubito frater te.
De Monogamia	Lib. 1.	Hæretici nuptias auf.
De Pallio	Lib. 1.	Principes semper Africe.
De Spectaculis	Lib. 1.	
De Ieiunii	Lib. 1.	
De Ecclasi	Lib. 6.	
Aduersus Apollonium	Lib. 1.	
De Pudicitia.	Lib. 1.	

Scripsit quoque & alia plura, variisque tractatus, qui ad manus nostras adhuc minimè venerunt, vixitque usque ad senectam & senium studiosus. Claruit Seueri Imperat oris temporibus, anno Domini c.c.

EX ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM  
Enchiridio, Epist. 5. Lib. 4.

**D**E TERTULLIANO quod requiris. Quintus Septimus Florens Tertullianus appellatur, cuiusque legilibros, præter *Apologeticum*, *De Pallio*, *De carnis Refur-  
rectione*, *De Corona militis*, *Ad Martyras*, *De Virginibus velandis*, *De Habitū mulie-  
rum*, *De Cultu feminarum*, *Ad Vxorem*, *Ad Scapulam*, *De Persecutione ad Fabium*,  
*De Exhortatione castitatis*, *De Patientia*, *De Monogamia*, *De Prescriptionibus hereticorum*, *Con-  
tra Hermogenem*, *Aduersus Præxean*, *Valentinianos*, *Marcionem*, *Iudeos*, *Hæreticos omnes*. Ipse  
quorundam præter hos Librorum meminit à se compositorum, qui nec extant. Laetan-  
tius, vt in omnibus eruditum doctrinis, ita in eloquendo duriorem perhibet. Au-  
gustinus, lapsus quibusdam locis miratur, quamvis hominem doctissimum. Cyprianus  
fua frequenter scripta de illius fontibus irrigauit. Reliqua super eo Libellus Hieronymi  
virorum illustrium suppeditabit. Ex *Apologetico* verò nimium tibi debeat, quod & huic  
Epistola totum subnexui. Tu ceteros tamen eius Libros caue putas cum *Apologetico*  
conferendos; tum illud scito, volumen esse quod desideras propè immensum. Nam  
quod ad operam scilicet adtinet, meam libenter equidem, de illa tibi verbis eisdem  
spondeo; quibus Publio Septimio de ciuium fortunis Antonius. Quid concupiscas, tu  
videris. Quod concupueris, certè habebis. Vale. Florent. Pridie Idus Ianuarij M.  
CCCC. LXXXI.

PARA-

